



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. I. Vtrum hæc sit forma huius Sacramenti: Hoc est corpus meum, & Hic
est calix sanguinis mei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

parte specierum, quod non contingeret sine maximo miscens sacilegio, quæ autem vina inter se differant specie, (supposita sententiâ, quæ asserit differre) non ita facile iudicari potest, sed ex variis proprietatibus & effectibus planè distinctis potest aliquo modo colligi.

Ex dictis facillè patet responsio ad rationem S. Tho. quod scilicet non qualibet mixtio secundum locum sit causa corruptionis miscibilium, ex qua exurgat tertium distinctæ naturæ ab illis quæ miscentur, vno autem aliquorum non tollens naturam, & entitatem vini, non sufficit ut sanguis definat esse sub speciebus antea consecratis, licet aliquo modo mutetur denominatio.

Petes quid dicendum de casu posito à Soto supra, scilicet, si in vas vini non consecrati immittatur vna gutta vini consecrati eiusdem speciei?

Resp. non perdere suam consecrationem, unde si possit citò extrahi extrahendam & in sacros usus deputandam, reliquum verò vinum possit in usus communes conuerteri, quo verò casu non potest facile discerni, & extrahi, totum deputandum in usus sacros, de quo casu posteriori aliquos intelligo, qui indistinctè loquuntur, est contra Sotum qui existimat vinum tanquam commune habendum.

QUESTIO LXXVIII.

De forma Sacramenti Eucharistiae.

ARTICVLVS I.

*Utum hæc sit forma huius Sacramenti:
Hoc est corpus meum, & Hic est
calix sanguinis mei?*



QUESTIO intelligitur de formâ Sacramenti in fieri seu consecrationis: cum enim hoc Sacramentum consistat in re quadam permanente, nimirum in corpore & sanguine Christi, & speciebus, constat prædictas formas non posse esse, vel dici illi intrinsecas, sed eatenus dici formas, quod sunt formæ, quibus hoc Sacramentum conficitur.

Conclusio D. Tho. est affirmatiua, quia per prædictas formas optime significatur præsentia corporis Christi sub specie panis, & præsentia sanguinis sub specie vini, quæ in hoc Sacramento ponuntur.

Aduerte ex eodem, discerni inter ministrum huius Sacramenti & aliorum, quod minister in aliis Sacramentis operetur propriam personam representans, quamvis potestate à Deo acceptâ, in Sacramento verò Eucharistiæ conficiendo profertur verba in personâ Christi, in cuius personâ materiam consecrat, illam in aliam rem conuertendo.

DVBIVM I.

Qua ratione Christus Dominus hoc Sacramentum consecrerit?

PLURES hæc de re sunt sententiæ.

Prima est Innocentij lib. 4. de sacro altaris mysterio cap. 6. circa finem, ubi ait, dici posse quod Christus virtute diuina confecerit, & postea formam expressit sub qua posteri benedicerent. quibus verbis significat Christum ex potestate excellentiæ hoc Sacramentum consecrasset absque vllis verbis, quamvis postea ea protulerit, quæ futura erant forma, quâ consecratio perficeretur. pro quâ sententiâ varij citantur.

Secunda opinio apud D. Tho. responsione ad 1. asserit Christum consecrasset verbis nobis ignotis.

Tertia apud eundem censet Christum verbis consecrasset, & quidem iisdem quibus iam sit consecratio, sed ea bis pronuntiasse, semel secretò ad consecrandum, postmodum manifestè ad instruendum.

Communissima Theologorum sententiâ docet Christum verbis consecrationem perfecisse, & quidem nobis notis, iisque semel tantum prolatis, pro qua

Dico 1. Christus in confectione huius Sacramenti verbis usus est.

Probat ex Trident. sess. 13. cap. 1. Maiores nostri omnes, quotquot in verâ Christi Ecclesiâ fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, aperitissime professi sunt hoc tam admirabile Sacramentum in ultimâ cenâ Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vniue benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem deferri, ac perspicuis verbis testatus est, quæ verba à sanctis Evangelistis commemorata & à Diuo Paulo postea repetita, cum propriam & apertissimam significationem præferant, secundum quam à Patribus intellecta sunt. Quibus verbis Concilium grauius tradidit hoc Sacramentum, institutum fuisse his verbis, quibus Christus testatus est suis discipulis se corpus & sanguinem suum præbere, quæ verba tradidit Evangelistis relata. Idem Probat ex Canone Missæ, ubi dicitur: Qui pridie quàm pateretur &c. deditque discipulis suis dicens: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quibus verbis Ecclesiâ indicat Christum usum verbis in confectione huius Sacramenti.

Probat 2. ex Patribus; Author sermonis de cenâ Domini apud Cyprianum agens de Christo, PP. qui in cenâ panem & vinum protulit, ait: Hoc est Cyprian. corpus meum. manducauerant, & biberant (scilicet Apostoli) de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa tribus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat. ubi indicat consecrationem verbis à Christo esse peractam. Chrysost. homilia 2. in epist. 2. ad Timotheum in fine: Quemadmodum verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdos nunc quoque pronuntiat, ita oblatio eadem est. Euseb. Emilianus sermone 5. de Paschate: Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis verbo suo secretâ potestate conuertit, ita dicens: accipite, & comedite, hoc est corpus meum, & sanctificatione repetitâ accipite, & bibite, hic est sanguis meus. refertur can. quia corpus, de consecratione, distinct. Can. quia corpus. 2. Idem homilia in Dominicam Palmarum ad illa verba: Canantibus autem cis, ait: Ecce sacerdos in æter-

num secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum virtute ineffabili in corpus, & sanguinis substantiam convertit &c. dixit enim tunc per se, dicit & modo per suos ministros: Hoc est corpus meum, & tanta est eius verbi virtus, & efficacia ut statim fiat, quod dicitur.

Prob. 3.
ratione.

Probat 3. ratione, ministri Christi consecrationem verbis perficiunt; ergo etiam si aliunde non haberemus Christum verba usurpasse, possemus iudicare esse longe verius eum verbis consecrasse, cum consecratio, quae fit per ministros, sit repetitio consecrationis factae per Christum, qui iussit, ut ministri illum imitarentur, quae imitatio longe est perfectior, si ad eius exemplum verbis utantur.

Impugna-
tur prima
opinio.

2. Prima sententia non tam ponit Sacramentum, quam miraculum, cum nihil ponat sensibile, ex quo potuerit deueniri in notitiam existentiae corporis Christi sub specie panis. nam quamvis dicat Christum instituisse verba, quibus tanquam forma ministri Ecclesiae uterentur pro consecratione Eucharistiae, si tamen antea consecrauit, id nullo modo potuit ab Apostolis aduerti, & non potuit dici consecrasse Sacramentum; quemadmodum non consecraretur Sacramentum, si Deus nullo sensibili signo Christi corpus sub specie panis collocaret. Adde eandem sententiam in re grauissima recedere à communi sensu sine graui ratione.

Conclus. 2.
non consecrasse
verbis ignotis.

Dico 2. Christus non consecrauit verbis nobis ignotis. patet ex superiori conclusione, ex Trid. enim habemus illum consecrasse verbis, quibus est testatus se discipulis corpus, & sanguinem suum praebere, ergo ea verba debebant Apostolis innotescere, item eodem Concilio teste, Evangelistae, & beatus Paulus ea verba retulerunt, ergo non sunt nobis ignota.

3. ea verba à sanctis Patribus in eà significatione sunt intellecta, quam praeserunt. Patet etiam conclusio ex autore sermonis de cena Domini, & Emiseno citato, & ex eo quod decuerit Ecclesiam scire, quid imitaretur.

Conclus. 3.
Tantum
protulisse
semel.

Dico 3. Christum non protulisse semel verba quibus consecraret, & postmodum eadem repetiuisse, ut suos ministros instrueret, quia verba relata ab Evangelistis semel recitata, fuerunt ad vtrumque sufficientissima, praesertim adiunctis illis quae refert Lucas: Hoc facite in meam commemorationem, quae verba refert post eandem formam consecrationis panis.

Confir. neque in Scripturâ, neque in Patribus extat vllum indicium, quo vel tenuiter possimus suspicari verba à Christo bis prolata eo modo quo vult tertia sententia.

Obiectio
contra pri-
mam conc.

Contra primam conclusionem obicitur, quod videatur patere ex Evangelistis Christum prius consecrasse, quam protulerit illa verba: Hoc est corpus meum. nam Matth. 26. dicitur: Canantibus autem eis accepit Iesus panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Ex quibus verbis habetur panem prius fuisse benedictum, quam verba: Hoc est corpus meum, fuerint prolata, benedictio autem non fuit aliud, quam materiae consecratio, quod clarius apparet in consecratione calicis Marci 14. vbi dicitur: Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

Resp.

Resp. neg. assumptum. ad probationem dico varias esse sententias quid sit illa benedictio, &

vtrum facta fuerit, antequam verba: Hoc est corpus meum, proferrentur.

Prima est S. Tho. responsione ad 1. quod benedictio illa fuerit consecratio, & verba Evangelistae ita sunt ordinanda: Canantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, dicens: Hoc est corpus meum, & deinde fregit, & dedit discipulis suis dicens: Accipite, & comedite. potest etiam ordo verborum seruari, ita ut particula, dicens, non referatur ad id, quod immediate precedit: Accipite, & comedite, sed ad totam orationem concomitanter hoc sensu: dum benediceret, frangeret, & daret discipulis suis, dixit haec verba: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.

Ad Marqum dicendum eum per quamdam anticipationem posuisse illa verba: Biberunt ex illo omnes, ante haec: Hic est sanguis meus, &c. Eandem sententiam sequitur Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 15. qui censet gratiarum actionem, cuius meminerunt aliqui Evangelistae, idem fuisse cum benedictione, sentiunt & plures alij, ex quorum sententia habemus Christum verbis consecrasse. Verum protulisse verba post benedictionem planè indicat Trident. supra, dicens: Redemptorem nostrum instituisse hoc Sacramentum, cum post panem, vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praeberet &c. per ipsius verbis testatus est, idemque insinuat in Canone Missae.

Nec contra facit, quod ait Apostolus 1. ad Corinth. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nomen communicatio sanguinis Christi est? nam quamvis admittamus eo loco per benedictionem intelligi consecrationem, & consecrationem sanguinis, non propterea tenemur, admittere benedictionem, quam Christus adhibuit, & cuius meminerunt Evangelistae, fuisse consecrationem. idem dici potest ad autorem sermonis de cena Domini, qui ait: Panis iste substantialis, & calix benedictione solemniter sacras ad totius hominis vitam, salutemque proficit. Dicit, inquam, potest, illum quidem sumere benedictionem pro consecratione, non tamen ita accipere apud Evangelistas.

Secunda ergo sententia est, eaque communior benedictionem, & gratiarum actionem, cuius meminerunt Evangelistae, & beatus Paulus, fuisse distinctam à consecratione, cuique praemissam, quae sententia est longe verior, ut patet ex Trident. & ex Canone Missae supra. iuxta hanc sententiam Christus accepit panem, benedixit, deditque discipulis suis dicens: Hoc est corpus meum, id est, postquam benedixisset, & distribuere inciperet, dixit: Hoc est corpus meum, quibus verbis corpus suum reipsa effecit.

In hac secundâ sententiâ difficultas est, quid fuerit illa benedictio, & gratiarum actio, & vtrum fuerint diuersae actiones; cuius discussio quamvis non sit necessaria ad propositi argumenti solutionem, cum ex dictis pateat argumentum abunde esse solutum, ad maius tamen doctrinae complementum non videtur inutile aliquid de eâ dicere.

Notandum 1. tam verba Latina, gratias ago & benedico, quam graeca, ευχαριστω & ευλογω, si primariam vocum significationem spectemus, non esse synonyma, sed significatum verbi, benedico & ευλογω latius patere, quam verbi, gratias ago, vel ευχαριστω. non enim solum solemus personas benedicere, sed, & res, cum tamen solis personis gratias agamus, easque laudamus. quamvis autem ita se res habeat, aliquando tamen in Scriptura proisdem sumuntur, vnumque alteri substituitur, ut

patet

Probatur
ex Conc.
Flor.

Probatur conclusio, 1. ex Flor. cui interfuerunt Græci, ubi dicitur: *Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum*. sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Ex quo loco habemus non requiri alias preces ad sufficientiam formæ, sed hæc verba: *Hoc est corpus meum*, continere, quidquid pertinet ad substantiam formæ consecrationis panis: nulla enim alia verba dici possunt verba Saluatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur, cum preces, quas Græci requirunt, non sint institutæ à Christo, sed ab Ecclesia.

Coroll. con-
tra hæren-
cos nostri
temporis.

Hinc obiter habemus contra hæreticos nostri temporis, non sufficere verba concionatoria pro formâ consecrationis huius Sacramenti, quia Christus pro formâ non adhibuit concionem. 2. verba, quæ proferet sacerdos in persona Christi, non sunt concionatoria. habemus etiam non requiri recitationem institutionis huius Sacramenti ex Apostolo 1. ad Corinth. 11. quam nec Christus adhibuit, nec instituit ut adhiberemus.

Prob. etiam
ex Trid.

Probatur etiam ex Trident. sess. 13. cap. 1. ubi ait: *Christum instituisse hoc Sacramentum, cum diceret, ac perspicuis verbis testatus est se præbere corpus suum &c.* Quæ verba dicit ab Evangelistis, & Apostolo Paulo commemorata; verba autem ab Evangelistis commemorata non sunt alia, quàm ea, quibus vtitur Romana Ecclesia, & quibus censet perfici consecrationem.

Prob. 2. ex
PP.
Cyprian.

Probatur 2. ex Patribus; author sermonis de cæna Domini apud Cyprianum, dicit: *Hoc est corpus meum, manducauerant & biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & ut a corporali subsidium ministrabat, sed ex quo à Domina dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, Hæc est caro mea, & Hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solemniter sacraus ad totius hominis vitam salutemque proficit.*

Ambros.

Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Ubi veniat ut conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed virtutis sermonibus Christi. Quæ autem sint illa verba explicat cap. 5. recitans hæc verba: Hoc est corpus meum. Lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 9. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum, ante benedictionem verborum testamentum alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur.*

Chrysost.

Chrysost. homilia 2. in epist. 2. ad Timotheum in fine: *Quemadmodum verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdos nunc quoque pronuntiat, ita oblatio eadem est.*

August.

August. serm. 18. de verbis Domini: *Quod ante verba Christi offertur, panis dicitur; ubi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis, sed corpus appellatur.*

Emilien.

Emilienus homilia in Dominicam palmarum ad illa verba: *Conantibus autem eis: ecce sacerdos in æternam &c. Dixit enim tunc per se, dicit & modo per suos ministros: Hoc est corpus meum, & tanta est eius verbi virtus, & efficacia ut statim fiat, quod dicitur.*

Damasce.

Damasceus lib. 4. de fide cap. 14. *Dixit Deus: Hoc est corpus meum, & Hic meus est sanguis, & Hoc facite in meam commemorationem, atque omnipotenti eius præcepto, donec ipse veniat, efficitur.*

Ex horum, & aliorum plurimorum Patrum testimonio habemus verbis consuetis, & in Ecclesia Latina vtitis, sine aliqua ulteriori præce verè con-

fici corpus Christi. 1. quia Patres dicunt illis verbis confici, ante ea verba panem esse communem, ubi ea accesserint corpus appellari; item corpus fieri verbis Christi, preces autem quæ adiunguntur tam in Ecclesia Latinâ, quàm Gracâ non sunt Christi, sed Ecclesie.

Probatur 3. in liturgia sancti Iacobi, Marci, & Æthiopum verba vtitata: *Hoc est corpus meum*, clarâ voce pronuntiantur dicente populo, *amen*, quod est argumentum quoddam communi sensu iudicent post hæc verba Christi corpus sub speciebus latere; si enim nondum est sub illis, & per verba citata nondum perfecta est consecratio, cur populus confirmans, quod dictum est à sacerdote, responderet *amen*? quasi dicat: verè ita est. præterea post prædicta verba hostia statim proponitur populo adoranda, ergo signum est quod iudicetur per illa verba Christi corpus poni sub speciebus, antequam vllæ preces accedant.

2. Constat formas Sacramentorum esse à Christo institutas, preces autem adiungi solitæ verbis vtitatis non sunt institutæ à Christo, cum neque ex Scriptura, neque ex traditione, vel Ecclesie sensu id colligatur, immò satis constet institutas ab Ecclesia, quandoquidem initio facta fuerit consecratio sine precibus, quæ modo adiunguntur, vel similibus.

Nec dici potest initio ita factum esse ex dispensatione, postmodum tamen preces debuisse addici; cum de tali dispensatione nullo modo appareat, nec vllum in Ecclesia agnoscat diuinum præceptum, quo postmodum preces addi debuerint ad substantiam formæ necessariam.

Confir. ex Evangelistis, qui clarè institutionem huius Sacramenti descriperunt, nihil de huiusmodi precibus habemus, sed potius ex his discimus nihil aliud esse necessarium, quàm verba, quæ Christus pronuntiauit, quæque in sui commemorationem pronuntiare præcepit.

3. Constat sacerdotem hoc Sacramentum conficere non tantum autoritate à Christo acceptâ, sed peculiariter in eius personâ, seu eius personam repræsentando, ut ex Patribus citatis patet, ergo forma debet in persona Christi proferri, preces autem addi solitæ non proferuntur in Christi personâ, ut patet, sed hæc verba: *Hoc est corpus meum*.

4. Prædicta verba sine ulteriori precatione ad sui veritatem requirunt, corpus Christi ponatur sub speciebus, igitur dicendum est statim atque fuerint prolata à sacerdote super legitimâ materia, cum legitima intentione, corpus Christi sub speciebus collocari, quod etiam docent Patres citati.

5. Denique nunquam in Ecclesia Latina huiusmodi preces iudicatæ sunt necessariae ad substantiam formæ.

Pro Gracis Obicitur 1. quod in liturgia sancti Iacobi post ea verba: *Hoc est corpus meum*, & *Hic est calix &c.* sacerdos se erigens exclamet, *ut superueniens Spiritus S. sancta, & bona, & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, populo respondente, Amen; & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, populo similiter respondente, Amen.* Consimilia habentur in liturgia Clementis lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 12. vel 17. immò in Latinâ post illa verba, dicit sacerdos: *Inbe hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum; ergo per verba præcedentia consecratio non fuit perfecta.*

Resp. neg. consequentiam, quia sacerdos per Responsum hæc inuocationes non intendit vel rogat, ut simpli-

citet

citer fiat corpus Christi, sed ut nobis censeatur sanctificatum, & ut corpus Christi iam in Dei honorem positum cedat in nostram utilitatem spirituales; quod declaratur in liturgia Clemētis cum dicitur: *ostende panem istum corpus Christi in remissionem peccatorum, vitamque aeternam* hys, qui accipiunt. quibus verbis declaratur sacerdotem non simpliciter petere, ut fiat corpus Christi, sed ut nobis sit utile, & sumentibus operetur remissionem peccatorum. quod etiam patet ex nostra liturgia, ubi non petitur fieri consecrationem, sed ut illius iam factae salutarem consequamur effectum, & nostra deuotio, & sacrificia Deo sint accepta. idem clare patet ex liturgia Aethiopum & sancti Iacobi, in qua post verba citata sacerdos apud se stans ait: *ut sit omnibus sumentibus in remissionem, & in vitam aeternam* &c. idem est sensus eorum quae in liturgia sancti Basilij, & Chrysostomi ponuntur, ut patet ex ipsius liturgijs. quae explicatio est etiam quorundam Graecorum in Concilio Flor. ut patet ex sess. vltima. nam quarentibus Latinis, cur Graeci post verba dominica: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum* &c. hanc orationem adijcerent: *& fac panem quidem hunc honorabile corpus Christi tui, quod autem in calice isto est, honorabilem sanguinem Christi tui ea sancto tuo spiritu transmutante* respondunt se firmiter credere verbis dominicis Sacramentum fieri, sed quemadmodum Latini confecto Sacramento hac solent uti oratione, inbe *hec perferri* &c. ita Graecos profere solere, ut *sacratissimum Christi corpus & sanguis peccatorum nostrorum remissioni ac nostris animabus saluti fiat*. alias explicationes adfert Bessarion in oratione, *Quibus verbis Christi corpus conficitur*, post medium. sed haec videtur solidior.

Obijciunt 2. varios Patres dicere Eucharistiam oratione, inuocatione confici. Iustinum Apologia 2. *Quemadmodum per verbum Dei incarnatus est Iesus Christus Sator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiam facramentum eductum* &c. edocet Iulianus. Hieron. epist. 85. ad Euagrium: *Quis patitur, mensurum & viderum minister, ut supra eos se tumidus effuset, ad quorum preces Christi corpus conficitur*? similia habet Aug. lib. 5. contra Donatistas cap. 26.

Resp. Patres nolle per alias preces confici Christi corpus, quam per verba ab illo instituta, quae vocant preces, quia sunt orationes efficaces, quibus diuina virtus euocatur & inuocatur ad ponendum Christi corpus sub speciebus. pro quo

Notandum quod licet forma Sacramentorum non habeant formam deprecatoriam, excepta extrema unctionis forma, apte tamen vocentur preces, quia sunt efficax quaedam oratio, per quam diuina virtus reipsa inuocatur ad perficiendam sanctificationem. qua ratione sanctus Leo epist. 91. agens de Sacramento penitentie dicit, *indulgentiam nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineri* dicunt etiam aliqui Patres vfos nomine precum, quia in consecratione Sacramentorum varia preces ex vsu Ecclesiae adiunguntur, sed prior solutio est verior, & solidior.

Obijciunt 3. Damas. lib. 4. de fide cap. 14. paulo ante finem dicens: *Est quidam exemplaria corporis & sanguinis Domini panem & vinum vocauerunt, ut Desfer vocauit Basilius, non tamen post sanctificationem dedit, sed priusquam sanctificaretur ipsa oblatio, ita vocabant.* Et Epiphanius Diaconus in 7. synodo, actio. 6. tomo 3. sub finem: *Attamen ante sanctificationis consecrationem quibusdam Patribus pie sancti visum est antitypon, hoc est exemplar similis formae nominare,*

quorum de numero Eustathius constans is propugnator orthodoxae fidei, & Arianicae insanae expugnator clarus, item Basilius eiusdem superstitionis auerruncator &c. postquam autem retulit verba Basilij addit & quae deinceps sequuntur sententiam Patris amplius confirmant, quod ante sanctificationem antitypa vocauerint, post consecrationem autem corpus Domini & sanguinem Christi: atqui Basilius in liturgia (ad quam respiciunt Damascenus, & Epiphanius) in anaphora vocat antitypa post verba: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*.

Bessarion oratione citata sub finem respondet. Damascenum non satis meminisse Eucharistiae Sacramentum interdum vocari figuram corporis Christi: secundo forte ea, quae in liturgia Basilij habemus post verba dominica, tempore Damasceni fuisse ante eadem verba, & propterea recte hoc modo exposuisse Damascenum. sed prius ad praesentem difficultatem nihil facit, cum non consistat in re ipsa, sed utrum per verba dominica fiat consecratio, quae iuxta Damascenum & Epiphanium non videtur fieri, cum sentiant non vocari antitypa post consecrationem, in liturgia autem Basilij ad quam respiciunt, vox antitypa ponatur post verbum dominicum. Secundum dictum sine ulteriori probatione non videtur recipiendum, non enim vlllo solido fundamento ostenditur, quod olim fuerit alius ordo liturgiae sancti Basilij.

Aliter respondet Bell. lib. 4. de Eucharistia cap. 14. solutione secunda tertij argumenti, cuius etiam responsio minus probatur. Alij dicunt antitypon interdum significare, quod est eiusdem naturae cum eo quod refert. Verum ut id concedatur, non soluitur difficultas, cum constet Damascenum, & Epiphanium locis citatis per antitypon intelligere figuram, quae non etiam sit id quod representat, quia volunt docere Eucharistiam non esse figuram, vel imaginem corporis Christi, quod si interdum aliqui vili sint vocare antitypon, non ita vocari post consecrationem, sed id dici de pane ante consecrationem.

Videtur igitur, quod licet vocabulum, antitypon, ponatur post verba dominica, referatur tamen ad praecedens tempus, quod ex ipsa oratione Graeca colligi potest, nam post verba Dominica: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, in liturgia Basilij, ubi sacerdos secreto dicit: *Ideo Domine sanctissime & nos peccatores, & indigni serui tui, qui constituti sumus ministrare sancto altari tuo &c. & proponentes configurabilia* (Graece *ἀντίτυπα*) sancti corporis, & sanguinis Christi tui, te obsecramus &c. loco, proponentes, Graece habetur, *προσφέροντες*, quod est aoristus secundus, & melius per praeteritū verti potest, *nos qui antea proposuimus*, scilicet panem & vinum, figuras corporis & sanguinis Christi tui consecrandas, quaeque iam sunt reipsa consecratae, rogamus, ut tua benignitate nobis haec profutura concedas. alludit enim ad id, quod ante verba visitata: *Hoc est corpus meum*, dixerat: *dimisit autem memoraciones salubres sua passionis, ista quae proposuimus secundum sua mandata*: quod ipsum paucis repetit post consecrationem, sed referens ad tempus quod consecrationem antecedit, ut diximus.

Petes an sententia Graecorum aliquam censuram mereatur?

Resp. esse in fide erroneam, cum repugnet Flor. citato, Patribus citatis & pluribus alijs, & Ecclesiae Latinae, quae semper existimant absque alia oratione & inuocatione prolatis verbis dominicis statim sub speciebus verè, & realiter poni corpus Christi.

Responsiones variorum minus probantur.

Responsio Auctoris.

Sententia Graecorum est erronea in fide.

Christi, quod etiam confirmat vsus, quo statim post illa verba, hostia proponitur populo adoranda.

D V B I V M III.

Quomodo verba consecrationis proferantur à sacerdote?

16.

Tribus modis enunciari possunt.

NO T A N D U M ea verba posse tribus modis enuntiari. 1. materialiter, proferendo syllabas, nihil aliud intendendo. 2. historicè, intendendo narrare, quid Christus per ea verba fecerit. 3. affirmatiuè, seu cum intentione id conficiendi quod in vltimà cenà Christus confecit. hos modos distingui patet consideranti, cum constet aliquem posse verba consecrationis pronuntiare, non intendendo referre alterius actionem; cõstet etiam posse verba ita recitari cum intentione referendi, quid alter egerit, vt nullo modo intendatur hic & nunc id, quod ab alio factum est. nam historicus non intendit bellum gerere, occidere, urbem oppugnare, cum alterius bella refert: similiter Euangelistæ non intendebant Eucharistiam consecrare, & Christi actionem imitari, cum illam describerent: sacerdos etiam in mensâ communi, in quâ est panis, legens verba institutionis huius Sacramenti, non intendit Christi factum imitari.

Quamuis, exceptis hæreticis, nulli existiment ad valorem consecrationis sufficere verba solum materialiter prolata, prout explicuimus, aliqui tamen existimant recitatiuè tantum sumi à sacerdote. ita Innocentius lib. 4. de sacro altaris mysterio cap. 17. Dur. dist. 7. quæst. 2. ad 1. Maior eadem dist. quæst. vnica §. secundo arguitur, ante medium.

Sed hæc opinio videtur omnino erronea. quia non leuiter repugnat Flor. dicenti: *Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum*: nam si sacerdos solum recitatiuè verba proferret, non diceretur loqui in personâ Christi, sed propriâ: qui enim scribit vel narrat alterius factum ibi sistendo, non dicitur alterius personam sustinere, sed propriam. vnde si is, cuius verba proferuntur, fuerit mentitus, non idcirco censetur mentiri is, qui refert, quid alter dixerit. Confirm. si sacerdos proferret verba merè recitando, eaque recitatio sufficeret ad cõfectionem huius Sacramenti, nunquam verba proferri possent cum intentione recitandi, quid Christus fecerit, quin proferretur formaliter forma huius Sacramenti, quod est falsum. 1. quia Euangelistæ dum ea verba recitarent, non ponebant formam Sacramenti.

2. nemo dicit sacerdotem legentem Euangelium cum intentione recitandi, quid Christus in vltima cenâ gesserit, ponere formam Sacramenti, ergo hæc intentio non sufficit. antecedens probatur, si ponerent formam, grauissimè peccarent, cum nullus possit ponere formam Sacramenti quando scit Sacramentum non posse confici, vt contingit in dictis casibus. 2. communi Catholicorum consensu ad conficiendum Sacramentum, requiritur intentio saltem confusâ illud conficiendi, & exercendi actionem tanquam sacram ceremoniam, & pertinentem ad religionem, constat autem huiusmodi intentionem posse separari à voluntate recitatiuè proferendi verba formæ.

Dices non posse, quia ex Christi institutione hæc recitatio est sufficiens ritus sacer. Verum id in re grauissima voluntariè & absque fundamento

dicatur. Confirm. talis institutionis nullum extat vestigium, & de cetero huiusmodi intentio ex rei naturâ inueniri potest sine relatione ad res sacras.

3. si hæc intentio sufficeret, præsentia materiæ esset impertinens, seu quod materia consecrabilis esset præsens sacerdoti consecranti; quod est contra Doctores, qui ad valorem consecrationis vnamini consensu requirunt vt materia sit præsens consecranti, assumptum probatur quia verba solum recitatiuè prolata non dicunt ordinem ad materiam præsentem, nec eam afficiunt vel designant, sed solum eam, quam Christus consecrauit, ergo est impertinens consimilis materia præsens consecranti. Confirm. si Christus talem materiam non consecrasset, falsa esset narratio, quamuis sacerdos, qui id refert, ante se haberet huiusmodi materiam, è contra verò si Christus illam haberet, & consecrasset, esset vera, etiam si sacerdos nullam haberet materiam.

Ex his restat dicendum sacerdotem debere proferre verba consecrationis affirmatiuè, seu significatiuè: debet enim per verba super præsentem materiam prolata velle in personâ Christi ponere eiusdem corpus, & sanguinem sub speciebus. Est communis Theologorum quæ indicatur à Flor. supra. sed

Difficultas est, num etiam recitatiuè sumi debeant.

Resp. 1. vt conficiatur Sacramentum, id non requirit. Probatur si quis sacerdos proferat illa verba: *hoc est corpus meum*, cum intentione in personâ Christi conuertendi panem in corpus eiusdem, verè conficit Sacramentum, quamuis non intendat per illa Christi factum referre, seu quod Christus per illa consecrauerit. 2. vt validè fiat consecratio, sufficit intentio, quam requirunt verba, vt sint vera, tanquam cõfessionia sacra, ad hoc autem non requiritur aliud, quàm vt sacerdos illa proferat significatiuè, seu volens in personâ Christi consecrare, ergo, maior probatur, quia solum requiritur intentio proportionata verbis, prout assumptis ad effectum sacramentalem.

Resp. 2. sacerdos tamen in Sacro videtur verba etiam historicè seu recitatiuè proferre, quod patet ex verbis Canonis: *qui pridie, quàm pateretur &c.* nam ab eo loco narrat quid Christus in vltimâ cenâ fecerit: vnde cum eodem contextu dicat: *Ergo, de diuque discipulis suis dicens: hoc est corpus meum*, non solum proferat narratiuè verba præcedentia, sed etiam formam consecrationis, aliàs dicendum esset narrationem remanere suspensam.

Nec sibi inuicem repugnant huiusmodi intentiones; non enim repugnat per aliqua verba narrare, quid alter olim fecerit, & illud idem in eius personâ per illa ipsa verba facere: sacerdos ergo potest tenendo præsentem materiam, representare, & referre, quid Christus olim circa consimilem fecerit, & per eadem verba velle in eiusdem personâ idem circa præsentem materiam facere: quemadmodum Iudæi aliquando infantes occiderunt, vt eâ actione repræsentarent, quid sui maiores in Christum exercuerint.

Dices, quando verba proferuntur recitatiuè, particula, *hoc*, debet respicere materiam Christo præsentem; cum verò affirmatiuè, seu formaliter, respicit præsentem sacerdoti; atqui fieri nequit, vt vna vox simul diuersas materias respiciat.

Resp. neg. assumptum, nihil enim repugnat quominus id fiat per vocem, vt diuersis intentionibus

substat.

Quidam Catholici putant sumi tantum recitatiuè. Innoc. Durand. Maior.

Sed est erroneum.

substat. nam licet hæ intentiones non necessario coniungantur, tamen se inuicem compati possunt; potest ergo sacerdos velle per actionem suam & prolationem verborum significare Christum in vltima cena consecrasse materiam sibi presentem, & se in eius personâ circa presentem materiam id facere.

Ex dictis patet cur sacerdos in for-na consecrationis dicat, *meum*, & non, *Christi*, quia videlicet in personâ Christi consecrat.

ARTICVLVS II.

Virum hæc sit conueniens forma consecrationis panis, Hoc est corpus meum?

D. Thom. vt patet ex corpore, videtur potissimum id querere propter copulam, *est*, vtrum videlicet conuenienter forma ita pronuntietur, *hoc est*, cum potius videretur dicendum *hoc sit*?

Respondet autem affirmatiue, patet ex Euangelistis & liturgijs, in quibus forma semper ita ponitur. Confirm. hoc modo optimè significatur effectus formæ consecrationis, nimirum existentia corporis Christi sub speciebus; ergo.

DVBIVM I.

Virum ad valorem formæ necesse sit aliqua verba præcedere?

SCOTVS dist. 8. quaest. 2. §. de secundo dico, censet sola hæc verba, *hoc est corpus meum*, essentialiter pertinere ad necessitatem consecrationis; alia tamen necessariò præmittenda, sine quibus non fieret consecratio, quia sine illis non potest haberi, quod hæc verba, *hoc est corpus meum*, dicantur in personâ Christi. necessariò ergo præmittenda hæc verba: *Qui pridie, quam pateretur &c.* Scotum sequitur Angelus verbo *Eucharistia* 1. nûm. 24. Sed Doctores communissimè contrarium tenent, ita que Resp. & dico, prædicta verba ita esse sufficientia, vt si cum legitimâ intentione super materiâ legitimâ proferantur, fiat consecratio, & corpus Christi ponatur sub speciebus.

Probat 1. in omni Sacramento verba requisita, & sufficientia ad substantiam, & essentiam formæ sufficiunt ex parte formæ, vt illud ponatur; si ergo, prout fatetur Scotus, prædicta verba sufficiant ad substantiam & essentiam formæ consecrationis, ex illius parte sufficient vt fiat consecratio, quamuis alia omittantur: ex quâ ratione patet videri repugnare, quod dicit Scotus. Confirm. aliquid sufficere ad substantiâ formæ nihil est aliud, quam illo posito, sepositis etiam alijs, inueniri formam legitimam; vt autem forma in Sacramentis sit legitima, verba debent saltem per intentionem ministri habere significationem conuenientem Sacramento, ergo si prædicta verba ponantur forma consecrationis, debent omnibus alijs præcisis posse habere significationem necessariam, vt fiat consecratio, & proinde non pendere ab alijs in huiusmodi significatione, vnde si aliqua oratio in suâ significatione dependeat ab alijs verbis, dicendum est illa verba non minùs esse essentialia formæ, quam alia, cum sint necessaria, vt oratio idoneam fortiaur significationem.

Probat 2. Scotus ideo censet prædictis verbis

non perfici consecrationem, nisi alia fungantur, quia forma debet proferri in personâ Christi, atqui proferri potest, quamuis alia verba non præmittantur, nam verba possunt determinari per intentionem ministri volentis illa in personâ Christi proferre, vel etiam ex intentione conficiendi Sacramentum, quo casu vult minister proferre in personâ Christi, videri potest D. Thom. articul. 1. D. Thom. ad 4.

Probat 3. Concil. Flor. non obscurè id insinuat, quod scilicet forma huius Sacramenti sint verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum: inde enim habemus 1. sine illis verbis, *Qui pridie, quam pateretur &c.* Sacramentum confici, cum ea verba non sint Saluatoris. 2. non obscurè habemus illa verba, *accipite & comedite*, non requiri ad consecrationem, cum etiam secundum Scotum non pertineant ad substantiam formæ.

Ex his deduco si sacerdos certus sit se illa verba protulisse, quamuis ex inaduertentia, vel aliâ ratione præcedentia prætermiserit, validam esse consecrationem, nec posse eum consecrationem etiam sub conditione iterare.

Ex dictis non difficulter solui possunt quæ in confirmationem suæ sententiæ adfert Scotus, quod scilicet verba sacramentalia debeant significare id quod efficitur vi Sacramenti.

Respondetur enim optimè significare, cum sacerdos in personâ Christi intendat consecrare, & proinde pronomen, *meum*, possit referri ad personam Christi, siue aliqua verba præcedant, siue non.

Sed Obijciunt Ambr. qui lib. 4. de Sacramentis cap. 5. tradens verba cælestia, quibus hoc Sacramentum conficitur, ponit illa: *accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum quod pro multis confringetur.*

Resp. certum esse etiam secundum Scotum non omnia relata verba requiri ad perficiendam consecrationem, cum illa verba: *quod pro multis confringetur*, non ponantur in nostrâ liturgiâ; non est ergo quod dicamus illa: *accipite, & comedite*, esse necessaria. quod ex ipsomet Ambr. probari potest: nam lib. de ijs, qui mysterijs initiantur cap. 9. ait:

Ipse clamat Dominus Iesus: hoc est corpus meum & ante benedictionem verborum cælestium. Ita species nominatur, post consecrationem corpus significatur. quibus verbis declarat benedictionem, quâ Christi corpus in hoc Sacramento ponitur, esse illa sola verba: *hoc est corpus meum.* idem colligitur ex Emiseno homilia

in Dominica palmarum: *dixit tunc per se, dicit & modo per suos ministros, hoc est corpus meum, & tanta est eius verbi virtus, & efficacia, vt statim fiat, quod dicitur.* Damasc. lib. 4. cap. 14. dicit Deus: *hoc est corpus meum &c.* atque omnipotenti eius præcepto, donec ipse veniat, efficitur: Ex quibus & alijs colligi potest consecrationem perfici prædictis verbis, licet nulla addantur, adde quod illa verba: *accipite, & comedite*, designent vsum, qui est extra rationem Sacramenti, & proinde, quamuis à Christo fuerint prolata, nullo modo requiruntur ad valorem formæ, nec concurrunt ad consecrationem huius Sacramenti, etiam quando præmittuntur.

Aduerte tamen illa non posse absque graui peccato prætermitti, vt docet D. Thom. art. 1. ad 4. quia pertinent ad ritum quendam, quo Ecclesia repræsentat Christi actionem, & dicta in vltimâ cenâ.

Coroll.

Satisfit argumentis Scoti.

Obiectio ex Ambr.

Resp.

Ambros.

Emiseno.

Damasc.

Non possunt tamen prætermitti, quia præmittuntur, omitti sine graui peccato.